



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

De habitu religionis. Cap. XXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

260 S. BONAVENTURAE
augebit lætitiā damnatio reprobōrum : quia
gaudebunt se ab his saluatos , in quibus por-
rant sicut & illi, nisi Deus eos liberasset , inci-
disse. Multæ sunt aliæ virtutum artificiales di-
uisiones, secundū quod aliæ dicuntur Theo-
logicæ, vt fides, spes, charitas; aliæ Cardinales,
vt prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia;
item aliæ Politicæ, aliæ purgatoriæ, aliæ ani-
mi purgati, aliæ exemplares : quas sicut rudis
rudibus loquens prætereo : solum illum ordi-
nem sequar, quo virtutes principales septem
vitiis opponuntur, cū virtus secundū hunc
sensum non aliud sit quā vitiorum carentia:
& quanto quisque ab omni vitio purior fue-
rit, tanto virtuosior est & perfectior.

De habitu religionis.

CAP. XXII.

Virtus in
obseruan-
tia, nu-
cleus in
testa.

Exod. 26.

Habitus
religiosum
non facit.

SICUT nucleus in testa vel in cortice, sic est
virtus interior cæteris obseruantis in reli-
gione. Omnia enim quæ in obseruantia reli-
gionis apparent, inuenta & statuta sunt pro-
pter obtinendas & conseruandas virtutes. Cæ-
tera autem sine virtute sunt, sicut testa carens
nucleo. Et sicut in tabernaculo fœderis plura
erant velaminum genera intra se protegentia
vel decoratia sanctuarium, scilicet pelles hya-
cinthinæ, pelles arietū rubricatæ, saga cilicina,
cortinæ, & tabulæ parietum, præter alia: ita in
religione plura sunt virtutis tegumenta, vel ad
decorem vel ad custodiam virtutis ordinata;
in quibus non pura virtus consistit, sed quæ-
dam virtutis vmbra, & latētis intrinsecus de-
monstratio figuralis. Vnde qui istis exteriori-
bus contentus interiora postponit, sic est quasi
qui corticem vel testam vacuam sine nucleo
habet. Primū est habitus exterior in vesti-
bus &

bus & tonsura: quæ si per se religiosum facerent, etiam limeæ vel moriones religiosi forent: quibus talis habitus quandoque ioculatoriè formatur. Sed hæc sunt tantùm signa interiorum, sicut circulus ad tabernam potum venalem designat, & vexillum super Ecclesiam denuntiat dedicationem. Vnde si signa falsa fuerint, decipiuntur homines putantes invenire significata: ita de ficto religioso, qui exteriùs in habitu prætendit quod non habet in moribus & vita. Secundùm, sunt exteriores ceremoniales observantiæ: vt inclinationes, genuculationes, & in horis pausationes, & omnes gestus quibus claustrales vtuntur in diuino officio vel in aliis: de quibus sæpe minùs virtuosus maiorem vim faciunt, quàm perfecti & magis deuoti. Tertium, sunt mores exteriores cõpositi & exteriorũ membrorũ disciplina in loquendo, in gradiendo, in totius corporis gestu: quæ etiam curiales, seculares commendabiles faciunt, & secularis virtus appellatur: sed religiosis magis competit, licet humiliori & planiori modo. Quartum, sunt opera penitentia, vt ieiunia, vigilia, flagella & aliæ corporales exercitationes & castigationes: quæ licet magis propinquant virtuti quàm præcedentia, tamen non sunt puræ virtutes: quia & ea hypocrite possunt habere, & in mortali peccato positi sæpe in talibus exercent seipfos.

Quintum, est studium familiare ad expurganda vel mortificanda vitia & virtutes vsitandas: vt seipsum humiliare, iræ motus reprimere, luxuriam domare: & cæteris vitiis impugnantibus resistere: & operibus charitatis, obedientia, & aliarum virtutum insistere. Quamuis enim omnia opera bona, sint virtutis exercitia; quia nec opus bonum esset quod nullam virtutem respiceret: tamen aliud est aliquod

R 3

bonum

bonū opus exercere simpliciter propter Deū,
 & intentionem merendi veniam & gloriam:
 & aliud est ipsum exercere, non tantum causa
 promerendi prædicta, sed etiam per hoc obri-
 nendi virtutem sibi coherentem, & vitandū
 eam per operis exercitiū, & vitium cōtrarium
 expugnādi, & hoc est multo vtilius quā illud
 prius: verbi gratia: Alius orat simpliciter, vt
 per hoc impetret peccatorum veniam vel vi-
 tam æternam: alius etiam præter istam inten-
 tionem orat, vt affuefaciat seipsum in oratio-
 nis studio, & per hoc consequatur gratiam de-
 uotionis, & gustum diuinæ dulcedinis, & gra-
 tiam diuinæ familiaritatis assequatur, & noti-
 tiam Dei clariū per mentis illuminationem
 consequatur. Et licet oratio prioris sit bona &
 meritoria veniæ & gratiæ & gloriæ: tamen in-
 tentio secundi cooperatur, vt & celerius & ple-
 niū hoc quod expressiū desiderat assequa-
 tur. Vnde multum valet ad perfectionem san-
 ctitatis, scire intentionem dirigere ad eam
 querendam, & studium suum ad hoc ordina-
 re, in tantum vt aliquis faciliore labore, quo ad
 corporale exercitiū, maiores mentales vir-
 tutes obrineat, qui scit prudēter disponere gres-
 sus suos, quā alius difficiliore labore. Exem-
 plum de quolibet perito artifice, qui meliū &
 citiū & leuiū operatur quodcunque, quā
 alter imperitus cum labore maiori. Sextum,
 est ipse nucleus affectualis virtutis, qui est
 perfectio vitæ actiue & ingressus ordinatus
 contemplatiue: sine illa frustra speratur puri-
 tas contemplationis vel stabilitas, sicut aqua
 fontis non erit pura, quā diu fundus non est
 mundatus sordibus eiectis. Sicut autem ex
 nucleo pinguedo olei exprimitur: ita ex affe-
 ctu virtutis sapor deuotionis procedit, maxi-
 mē diuini amoris & desiderij cælestis, & gau-
 dij

dij spiritualis, qui nobilior & efficacior est
quàm compunctio timoris vel mœroris. Hi
sunt sex dies in quibus operari oportet opus
salutis, & cibos vitæ quærere, ne ieiuni defi-
ciamus in via hac qua ambulamus: ita vt sexto
die duplices cibos colligamus, scilicet bonæ
actionis & piæ affectionis: vt in septimo, id est
sabbato quiescamus: & toti sani facti à vitio-
rum languoribus, in requie opulenta vacare
possimus diuinæ contèplationi, & videre quo-
niam ipse est Deus, & gustare quoniam suavis
est vniuersis. Qui sexto die duplices non col-
ligit cibos, septimo inanis remanebit, nihil re-
periens de dulcedine contèplationis: quia
qui sextum statum, qui est in virtutum affe-
ctualium sanitate nondum attigerit, septimi
status dulcedine, qui est in sapientiæ gustu &
intelligentiæ lumine, non fruetur. Inde est
quòd Iacob prius de Lia sex filios genuit: &
post hæc Rachel peperit filium Ioseph deco-
rum aspectu: quo nato cœpit Iacob petere di-
mitti & in patriam suam reuerti: quia prius
in actiua vita debet homo perfectus esse in sex
prædictis profectuum statibus, & tunc gusta-
to fructu vitæ contèplatiuæ cupiet dissolui,
& esse cum Christo in patria cœlesti, cuius-
iam primitias in sapore supernæ dulcedinis
prælibauit. Sed quia proficientibus hæc for-
mula scribitur, vt sciant quantum in singulis
virtutibus profecerint, vel quantum à perfe-
ctione earum adhuc distent, quamlibet ipsa-
rum in tres gradus longè inter se differentes
describendo distinguamus, multos medios pro-
fectuum passus festinando transilientes pro-
pter fastidium deuitandum. Ordo septem ca-
pitalium vitiorum hic est. Primum superbia,
initium omnis peccati, secundum inuidia, de-
inde ira, acedia, auaritia, gula, luxuria. Huic

Mar. 8, 2

Exod. 16, 22

Psal. 45, 18

Psal. 144, 9

Gen 30

Philip. 3

23.

Septem
vitiis ca-
pitalibus
septem vir-
tutes op-
ponuntur.

Hom. 27. in
Evang.

Charitas
omnes vir-
tutes in-
format.

Mat. 17,
2. Pet. 1, 16
Nemo in
hac vita
absolutè
perfectus.

per contrarium opponitur ordo virtutum, scilicet humilitas contra superbiam, dilectio proximi contra invidiam, mitis contra iram, charitas Dei contra acediam, contemptus divitiarum contra avaritiam, sobrietas contra gulam, castitas contra luxuriam. Sed quia teste beato Gregorio, sicut multi arboris rami ex vna radice prodeunt; ita ex charitate Dei ceteræ virtutes oriuntur: ideo de ipsa tanquam de omnium matre & nutrice primò dicamus, & postea de filiabus. Ante ipsam nulla virtus meritoria est. Ipsa enim omnes informat, ut virtutes sanctæ sint; & vigorem tribuit eis, ut sint magis vel minùs meritoria & Deo accepta, secundum quod de ipsis nutrimento minùs vel ampliùs acceperunt: sicut ramus arboris à radice nascitur, & ex succo ab ea procedente nutritur & ut magis fructificet magnus efficitur. Initia autem singularum virtutum ad incipientes pertinent, sine quibus non possunt esse salvi & Deo placere ad salutem. Perfectus ad religiosos magis congruè pertinent, qui meliores esse debet quam popularis communitas vel laici seculares: qui tamen sunt de numero salvandorum. Quid prodest altiora profiteri & exterius in habitu perfectiora pretendere, si in studio virtutum & exercitio operis non distamus ab infimis, qui tamen in spe sunt salvationis? Imò maior est confusio & species fallendi. Magna promittere & exigua persolvere, est potius supplicio dignum quam præmio. Perfectio autem ad perfectos pertinet, qui transverso difficultatis obstaculo, in quo proficere volentes laborant quasi in montis ascensu, iam in ipso culmine, Christo duce constituti, transfigurationis eius gloriam desiderant speculari. Nemo tamen in hac vita vel perfectè alicuius virtutis apicem valet apprehen-

prehendere, vel stabiliter in summo gradu
semper inanere: sed pro modo viæ perfectus
quis dicitur respectu inferiorum.

De charitate.

CAP. XXIII.

CHARITAS, est ordinata & magna vo-
luntas seruiendi Deo, placēdi Deo, fruen-
di Deo. Caritas, dilectio Dei, & amor idem
sunt. Tamen beatus Bernardus distinguit eo-
dicens, Magna ad Deum voluntas amor est:
sed cum lactatur à gratia, dilectio est: cum ve-
rò fruitur cui adhæret Deo, caritas est.] Di-
ligere debemus Deum super omnia propter
tria, quia bonus est in se, nec tantummodo bo-
nus, sed etiam ipsa bonitas est, quia nihil me-
lius vel cogitari vel esse potest: & quo omne
quod aliquo modo bonū est, bonū est. Si enim
omne quod bonum est, diligendum est in-
quantum bonum, ille qui summè bonus est &
infinite bonum est, summè & si possibile
esset in infinite, diligendus est, iuxta meri-
tum dignitatis eius. Item, quia ipse prior dile-
xit nos, & plus diligit nos quàm nos ipsi nos.
Ille enim qui infinite est, & cui non est aliud
esse quàm amare, quia ipse Deus caritas est,
diligit nos pauperes & viles & miseros: & di-
lexit ab æterno nondum existentes, nondum
eum diligentes, imò & nescientes & resisten-
tes & offendentes ipsum: & ideo iustum est
nos eum vicissim diligere ex omni quod su-
mus, & scimus & possumus: vt saltem cum exi-
gua mensura nostræ possibilitatis, fideliter re-
metiamur ei diligendo, cuius magnitudinis
non est finis. Tertio propter eiusdem dilectio-
nis multiplicem effectum, qui cognoscitur in
beneficiis eius: quia non sufficit ei diligere solo

Charitas.
Dilectio.
Amor.

Bern. ep. ad
fratres de
monte Dei,
paulo post
med.

Deus dili-
gendus su-
per omnia.

1. 20. 2. 10.

R s affe-